

immensa, vel infinita, vel absolutè simplex, potest.

24. Quæ singulatim de personis prædicantur, vocantur *relationes, proprietates, notiones, characteres personales*, quibus personæ divinitatis à se invicem distinguuntur; ut gignere, gigni, procedere.

25. Quæ de actione Dei vel universali vel speciali prædicantur, etiam relativè de Deo dicuntur, & sunt unius, solius, ac totius Trinitatis; servato tamen ordine personarum, & salvâ cujusq; personæ proprietate.

26. Unitatem divinæ essentiaë impugnaverunt prætergentiles, Valentinus, Marcion, Manes, Tritheitæ, & obliquè sive per consequentiam Papistæ, divinum cultum exhibentes defunctis sanctis, vel confectis numinibus.

27. Est igitur Deus *unus*, non genere, aut specie, aut $\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota$, neq; tantum consensu, voluntate, aut concordia: sed *unus essentiaë, & unus numero*. Deut. 4. v. 35. Esa. 44. v. 6. 1. Cor. 8. v. 4. Eph. 4. v. 6.

28. *Trinus* autem est personis; Hoc est, in una indivisa Deitate, sunt tres distinctæ personæ, Deus pater, filius, & Sp. sanctus; Quæ tres personæ sunt illa ipsa una æterna deitas.

29. *Persona* est subsistens individuum, vivum, intelligens, incommunicabile (alteri personæ) non sustentatum ab alio.